

Latein

22. Januar 2010, 15:50 Uhr

Nuntii Latini Septimanales 22.1.2010

Lateinischer Wochenrückblick 22. Januar 2010

Haiti perturbatione maxima obruta

Insula motu terrae gravi conquassata moderatores Haitienses declaraverunt civitatem esse in summo discrimine. Hac calamitate ad ducenti milia hominum interfecti sunt. Subsidia ex toto orbe terrarum confluentia conventui internationali dispoenda erunt.

Animi pecuniis factionibus oblatis incensi

Postquam deversoriorum dominus magnas pecunias factionibus Liberali atque Unioni Christianae et Sociali largitus est, partes adversantes utrique factioni crimini dat, quod venalis sit. Factiones enim pecuniis datis id egisse, ut deversoriis vectigalia minuerentur. Factio autem Liberalis ei crimini adversatur.

Praemium fabulae cinematographicae

Fabula cinematographica nomine Fasciae Albae a Michael Haneke dispositore confecta in oppido Hollywood optima pellicula peregrina est iudicata. Cuius fabulae scaena est vicus Germaniae septentrionalis, ut fuit ante bellum mundanum primum ortum. Christoph Waltz actor Austriacus pretium accepit, quod personam minoris momenti optime gesserit.

Weitere Informationen:[Nuntii Latini Septimanales 3/2010, \[2:06\] !\[\]\(95b425611cbd2b8716a140cf67c81822_img.jpg\)](#)[Lateinischer Wochenrückblick 3/2010 !\[\]\(b4eeff342f60cc7bcd67d869b4fedca2_img.jpg\)](#)

Deutsche Version

Quelle: <http://www.radiobremen.de/nachrichten/latein/wochenrueckblick/latein/nachrichten140.html>